

Petitio pro B.V.M. Assumptione dogmatice definienda

Autor(en): **[s.n.]**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Divus Thomas**

Band (Jahr): **24 (1946)**

PDF erstellt am: **30.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762241>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Ein Dienst der *ETH-Bibliothek*

ETH Zürich, Rämistrasse 101, 8092 Zürich, Schweiz, www.library.ethz.ch

<http://www.e-periodica.ch>

Petitio
pro B. V. M. Assumptione dogmatice definienda

per Revmum Magnum Cancellarium
Facultatis Theologicae Univ. Friburgensis Helv.
Pio PP. XII. proposita¹

Non eos [professores] latet totum tantae definitionis pondus penes Sanctitatem Tuam residere ; ideoque laetantes, felicem exspectant diem quo, sub assistentia Spiritus Sancti non de novo aliquid revelantis, sed peculiari modo dirigentis atque illuminantis, Sanctitas Tua gloriosam Dei Genitricis Assumptionem definire dignabitur.

Praedictis professoribus, processum hujus definibilitatis considerantibus, videtur veritas Assumptionis jam pridem inveniri in magisterio Ecclesiae infallibili et quidem sub dupli aspectu.

I. Lex orandi, lex credendi. — Liturgica Assumptionis sollemnitas ab Ecclesia tum orientali tum occidentali jam saltem a saeculo VII celebrata fuit. Sancta Romana Ecclesia de gloria Virginis Assumptione festum peragit sollemnissimum, de quo speciale ac proprium officium ordinavit quodque omnibus canonice imposuit. Hodie absque dubio, majorem obtinet certitudinem veritas Assumptionis, quam tempore Sixti IV veritas de Immaculata ejusdem Virginis Conceptione, quae vehementer impugnata fuerat. Nullus siquidem citari potest auctor catholicus qui hoc Dei Genitricis privilegium impugnare auderet, vel ab eo corde tantum dissentire. Qui universalis pastorum ac fidelium consensus nequit argui falsitatis, quamvis definitiva sententia nondum prolata fuerit.

II. Altera ratio, nec inferioris ponderis ac praecedens, fundatur in numerosissimis petitionibus Episcoporum, *quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei* et qui, Praeside Vicario Christi, fidei proponendae

¹ Wir lassen die Einführung und die Namen der unterzeichnenden Professoren beiseite.

judices existunt. Ex documentis autem, a speciali sectione Supremae Congregationis Sancti Officii collectis recenterque editis, luculentissime appareat quod major pars Episcoporum residentialium totius orbis (73 %) seu Ecclesia docens per omnes terras dispersa, definitionem de gloria Dei Genitricis Assumptione quam maxime exoptat.

Haec duo argumenta, ex auctoritate desumpta, prae ceteris, majoris ponderis ac efficacitatis esse videntur.

Definibilitas Assumptionis fundari non valet nisi in deposito revelato, in quo dupliciter contineri posset :

a) vel quia est deductio implicite quidem, sed immediate comprehensa in iis quae explicite revelata sunt de summa idoneitate ac eximia perfectione Beatissimae Virginis Mariae, cuius proprium est, inter puras creaturas, ipsum ordinem hypostaticum ac fines ipsius Deitatis attingere. Etenim altissima maternitatis divinae dignitas totum ordinem creatum naturae, gratiae et gloriae quasi in infinitum superat, utpote quae per essentiali relationem ad unionem hypostaticam constituitur.

b) vel quia factum Assumptionis historicum Apostolis fuisse explicite revelatum et ab ipsis ut sic per traditionem nobis transmissum. Fatentibus tamen eruditis, per sex priora saecula, nulla inveniri videntur testimonia historica, quibus Assumptio Beatae Mariae demonstraretur. Unde circa hoc ultimum argumentum non videtur esse insistendum.

Quod autem ad primum argumentum attinet, placet theologicas enumerare rationes, quae viam ad Assumptionis definitionem aperire atque illustrare videntur.

1. Maria perfecta Redemptoris adjutrix extitit.

Quae cum Christo plenissimum obtinuit triumphum super tenebrarum regnum, huic serviliter subjacere non debuit. Derelictio autem corporis Virginis Beatae in sepulcri corruptione turpis fuisse submissio imperio diaboli ac gloriam Verbi incarnati obnubilasset.

Redemptor resurgere debuit, ergo et Coredemptrix. Cum enim Christo et Mariae communis fuerit pugna ac victoria de peccato ejusque sequelis (Gen. III et Bulla « Ineffabilis »), nonne communis debuit esse et triumphus per gloriosam resurrectionem ?

2. Carentia peccati in Maria.

Nobis omnibus tabes et foetor sequens mortem sequelae sunt peccati ac divinae maledictionis (Gen. III, 3-18) ; quae ignominia afficere non debuit corpus immune a quolibet peccato et a quolibet maledicto.

Beatissima Virgo fuit gratia plena ac benedictionibus repleta. Sanctissima autem Christi humanitas processit ex ejus purissimo corpore, quod vere dicitur *lignum vitae perpetuae, dans nobis fructum aeternae beatitudinis*; unde summe repugnaret, si corpus Mariae corporibus peccatorum putrefactis assimilaretur.

3. Analogia cum aliis privilegiis Beatae Mariae Virginis corporalibus.

Sicut Christus ingressum Beatae Virginis in mundum sanctificavit per privilegium Immaculatae Conceptionis, ita et ejus exitum glorificare voluit per praerogativam anticipatae resurrectionis.

Sicut fomes peccati inde ab initio impeditus fuit per Immaculatam Conceptionem, et corruptio carnis per perpetuam virginitatem (notanter in conceptione et nativitate Filii), ita et putrefactio corporis Mariae congruenter impediri debuit per gloriosam Assumptionem.

Si adfuit corporis integritas jam a principio, immo et per totam vitam, a fortiori, tempore praemii, post vitam sanctissime peractam, illam adesse convenit.

Perfectissimae creaturae quae, dum viveret, a defectibus reprehensibilibus totaliter exempta extitit, quam maxime congruit ut, post mortem, turpitudini corruptionis non subjaceat.

4. Secundum piam et probabilissimam theologorum sententiam divina Maternitas integritatem perfectam exigit.

Deo incarnato ejusque Matri *per se* debentur impassibilitas et immortalitas corporis; quorum tamen effectus suspensus mansit propter dolorosae redēptionis necessitatem. Hac tamen peracta, nulla erat ratio talem effectum impediens; unde et Beata Virgo, sicut et Christus, resurgere debuit cum corpore glorioso.

5. Amor Christi erga Matrem.

Amicitia amicos conjungit et in participatione bonorum similes reddit. Sed Filius omnipotens beatitudine perfecta, etiam corporis, gaudet; ergo in participatione ejusdem beatitudinis Matrem dilectissimam similem sibi reddidit.

Anima Mariae, a corpore separata, non est plene Mater Jesu; qua propter perfecta glorificatio ipsius Dei Genitricis reassumptionem materni corporis exigere videtur.

6. Jus ad praemium immediate obtinendum.

Meritum dolorosissimae compassionis est quasi infinitum; expleta vita mortali necnon meritorum acquisitione, omnis ratio dilationis praemii deerat. Unde Maria perfectam retributionem statim obtinuit.

Ante reassumptionem corporis, aliquo modo imperfecta remanet beatitudo ; nulla autem imperfectio minuere debet gloriam Dei Genitricis.

7. Deficientia circa cultum Beatae Mariae Virginis ecclesiasticum non videtur admittenda.

Ecclesia nullo modo colit ipsum corpus Dei Genitricis sanctissimum, dum aliorum sanctorum reliquias veneratur, quamvis macula peccatorum fuerint olim infecti. Insuper multa sanctorum corpora fulgent integritate conservationis, illustratione miraculorum, pietate fidelium ; ideo, quoad haec, Mater Verbi infra communes sanctos et beatos relegatur, si ipsius corporis reliquiae sine ullo cultu et veneratione ignotae jacerent.

8. Comparatio ad alios sanctos perfecte resuscitatos.

Si, — secundum nonnullorum judicium, — aliqui sancti fuerunt cum Christo vere et perfecte resuscitati (Matt. xxvii, 53) et cum ipso in coelum ascenderunt, a fortiori tale privilegium Virgini Deiparae tribui convenit. — Quae tamen ratio congruentiae minus valida videtur, cum ejus fundamentum non ab omnibus admittatur.

Procellosis nostri aevi temporibus, ubi immortalitas vitae ac spes resurrectionis a materialismo maxime impugnatur, opportunum videtur Assumptionem Sanctae Dei Genitricis extollere.

Recolendum tandem, quod Facultas nostra theologica friburgensis, ante duos annos, « Lauream ad honorem » contulit Rmo Dno Paulo Renaudin, abbati O. S. B., cuius labor in definitione Assumptionis promovenda jure meritoque ab omnibus celebratur.

His deprecatoriis litteris finem imponentes, liceat quoque nobis, pro filiali nostra erga Dei Genitricem devotione, votum cordis nostri manifestare, ut scilicet Beatae Virginis Mariae in coelum Assumptio quantocius infallibiliter declaretur.

Simul ac supplices has preces mittimus, summas gratias agimus Tibi, Beatissime Pater, pro sapientissimis monitis et consiliis, quibus durante hoc immani bello, principes ac populos omnes consolari, adjuvare ac dirigere dignatus es.

Ad pedes Sanctitatis Tuae provoluti, Paternam Tuam benedictionem imploramus, ut, Te Duce ac Magistro, veritatibus fidei profundius investigandis latiusque diffundendis indefessam operam navare valeamus.

Friburgi Helvetiorum, die XXIV mensis Martii anni Domini MCMXLVI.